



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 4. Error Roscelini Compendiensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

præcellentem, & a pecuniæ cupiditate alienum; tali enim Ecclesia indiget, in qua quisque facere audeat, quod lubet, & quod pejus est, impune audeat.

Sæculum XI,
A. C. 1092.

§. IV.

Error Roscelini Compendiensis.

Sub idem tempus Renaldus Archiepiscopus Remensis Compendii Synodum celebravit, in qua damnatus est error Roscelini, Doctoris celeberrimi, sed melioris Dialectici quam Theologi. Dicebat, in Deo tres Personas esse totidem res ab invicem separatas, sicut sunt tres Angeli. Ita tamen ut una sit voluntas & potestas. Secus, ipsius opinione, etiam Pater & Spiritus Sanctus fuisset incarnatus. Addebat, tres Deos vere posse dici, si usus admitteret. Ut sibi auctoritatem conciliaret, Lanfrancum, Archiepiscopum Cantuariensem, in ea sententia fuisse mentiebatur, pro qua etiam falso laudabat S. Anselmum Beccensem Abbatem.

to. 10. Conc.
p. 484.

Hoc errore comperto, Anselmus Fulconi Episcopo Belvacensi, quondam Discipulo suo, scripsit in hæc verba: Credo, te interfuturum Concilio, quod Archiepiscopus Remensis brevi ad discutiendam banc causam celebraturus est. Quæ nomine meo, si opus fuerit, respondere debeas, doctissimo. Quod vero ad Lanfrancum Archiepiscopum.

Lib. II. ep.
41.

T 2

episco-

Sæculum XI. *episcopum spectat, plurimi viri virtute &*
A.C. 1092. *doctrina inclyti, quibus perspectus erat*

Archiepiscopi de Divinis sensus, testes sunt, eum hujusmodi errorem nunquam verbis prodidisse. Ut nihil dicam, turpe esse, mortuum accusare. Ego autem volo, ut sciat universus orbis, me illa credere, qui in tribus Symbolis continentur. Quicumque aliquid eorum negat, & speciatim qui blasphemiam illam affirmaverit, quæ Roscelino tribuitur, anathema sit! a tali homine non exigendum argumentum erroris sui, nec ei ulla veritatis, quam tenemus, reddenda est ratio. Simplicissimum enim esse oportet, qui putat fidem nostram, solide stabilitam, ad examen vocari debere, quotiescunque privatus aliquis, eam non capiens, insanierit. Fides nostra ratione & argumentis contra Infideles probanda est, non autem contra illos, qui Christianorum nomen gerunt. () Rogo te; banc epistolam ad Conci-*

(*) Præclara sane Doctrina! Hoc præcipue Luthero, Calvino eorumque Discipulis in principio funesti Schismatis objiciendum erat, sive quæstiones de Fide, sive de Prærogativa Romanæ Ecclesiæ moverent; nam pervicaces facilius & fortius auctoritate quam argumentis prosteruntur. Illud imprimis inculcandum erat Christi Domini effatum; Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Matth.

Concilium ipse defer, aut si te illuc non conferas, cura, ut a quoquam tuorum Episcopis convenientibus reddatur, & palam, si necesse sit, recitetur.

Sæculum XI.
A. C. 1092.

Venit Compendium ad Concilium Roscelinus, ubi erroris convictus ad eum ejurandum compulsus est. Verum postea eandem Hæresim docuit, obtendens, quod huic doctrinæ fide & metu mortis nuncium dixisset, ne occideretur a populo. Ivo Carnotensis Roscelino exprobravit, quod ad vomitum rediisset, hortatus, ut serio errorem retractaret, & scandalum Ecclesiæ datum auferret.

Lanfran. de incarn. c. 1.

Ivo. ep. 7.

§. V.

Fulco Episcopus Belvacensis.

Fulco Episcopus Belvacensis illustri familia in illa Provincia natus, vitam

T t 3 mona-

Matth. 18. Item, illud Beati Pauli: quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. 2. ad Thessal. 3. 15. Dicunt quidem Protestantes cum Mosheimio in der Vorrede zu einer Rehergeschichte. Die Kirche kann fehlen. Der wahre Glaube hat können ohne sichtbare Anhänger seyn. Sed Deum immortalem! cum dixerit Dominus ad Petrum: super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, Matth. 16. Quale ædificium construxisset Jesus Christus, quod errare, id est, corruere potuisset? & qualis Fides, quæ sine ullis Fidelibus cognoscibilibus omnium hominum existimatione utique nulla fuisset?